

cedonensi fidei, & omnibus qui credunt in eam: & sic dilaceravit illum librum, & projecit eum ante januam Ecclesie. Heraclius præterea Episcopos constituit in singulis Ægypti urbibus usque ad (1) Ansa, omnique calamitatum genere gregem Theodosianorum (nam eo loco ita suos majores Jacobitæ vocant) dissipavit.

CAPUT IV.

Sophronii Patriarchæ Epistola ad Sergium, & ad Honorium Papam.

Sophronius (ut supra dicebam) acceptis Constantino- poli a Sergio Patriarcha literis, quarum & Sergius ipse & Honorius mentionem faciunt, reversus in Palæstinam, reperit Hierosolymitanam Ecclesiam suo Pastore viduatam - Modestus quippe Patriarcha circa finem anni 633. vel sequentis initio obierat. In ejus igitur locum Sophronius Patriarcha subrogatur, uti idem in Synodica (2) de sua ipsius electione sic inquit: *Quam mihi nunc, beatissimi, optabilis est requies & tranquillitas, & multo quam prius optabilior, ex quo a quiete, a curis vacuum in turbam negotiorum veni.* Et post pauca. *Quum hæc igitur sic sint, & adhuc acerbiora, & mihi miserrimo necessitas ingens, ac vis a Clericis, & reverendis Monachis, & fidelibus Laicis universis Sanctæ civitatis Christi Dei nostri, manu & violentia me cogentibus, nescio quibus judicii imposta sit, quaeso vos Sanctissimos, & hortor, ut non solum puris & castis apud Deum precibus mihi vitam in mari agenti & in periculis versanti operam feratis, & parvo animo labantem confirmetis, sed doctrinis divinis ad res agendas instituatís, tum ut parentes & genitores, tum ut fratres & consanguinei.* Vix Hierosolymitanam Sedem adeptus, Synodum habuit Antistitum Palæstina: de qua Theophanes ad ann. Heraclii xx. *Ea tempestate Sophronius Hierosolymorum Episcopus instituitur,*

(1) *Ansa.* In textu Arabico, *Ajsan*, hoc est, usque Syenen.

(2) Synodica Sophronii recitata Act. xi. Synodi Sextæ, ex versione Turrtiani apud Baron. ad ann. 633. n. 10.